



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXXXIII. An peccauerit Angelus appetendo vnionem hypostaticam
cum Deo, aut eam inuidendo homini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

la vero priora verba, *Ex quod eleuatum est cor tuum & dixisti, Deus ego sum*, per hyperbolen dicta intelliguntur, ad exprimentiam nimiam illius principis superbiam, & arrogantiam, vt se tanquam Deum videretur æstimare: non autem, quod similia verba dixerit. Cum igitur pro nobis habeamus testimonia patrum, quos retulimus, & verba omnia in ipsum principem Tyri apte conueniant absque illo fundamento negabimus de illo esse intelligenda, præsertim cum initio capitis, & deinceps ad ipsum principem Propheta verba dixerit.

His omnibus adde *August. libro i. de Genes. ad lit. cap. 2. §. vbi ex professo contendit probare, prædictum testimonium non posse demone intelligi: nec inde colligi, angelos fuisse prius in gratia Dei creatos: & Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 3. §. vbi de hoc testimonio ita loquitur. Legimus enim, ad principem Tyriorum dictū esse diuinis, quod & necessaria quadam ratione diabolo accommodare persuadetur. Dixit necessaria quadam ratione, propter maximam similitudinem inter vtrumque casum, & superbiam. Quare si prædictum testimonium de Lucifero debemus intelligere, per accommodationem, aut figuratum sensum intelligendum est.*

DISPUT. CCXXXIII.

An peccauerit angelus appetendo vnionem hypostaticam cum Deo, aut eam inuidendo homini.

Angelum appetitu vnionis hypostaticæ, & inuidia eius peccasse recentiores autumant. cap. 1.

Angelum potuisse peccare appetitu vnionis, non tamen peccasse, verior opinio fert. cap. 2.

CAPVT I.

Angelum appetitu vnionis hypostaticæ, & inuidia eius peccasse, recentiores autumant.

Explicato iam præcedenti disp. genere peccati, quo Angelus primum cecidit, restat, vt inuestigemus id, cuius immoderato appetitu in superbia peccatum prolapsus est. Quod sane genus peccati cum in appetitu propriæ excellentiæ vera modum debitum consistat: non vno, sed multis modis accidere potuisse, nullū dubium est. Quo autem modo contigerit, nemo ita facile definire potest. Singulos igitur modos percurrentes, duo ostendemus: primum, quidam appetere Angelo possibile fuerit: nam & circa hoc non leuis controuersia interdum occurret. Deinde cuius excellentiæ appetitu primum peccauit.

Circa controuersiam autem propositam variæ fuere Theologorum sententiæ. Prima sit eorum, qui dixerunt, Angelum non solum peccare potuisse, sed etiam peccasse appetitu vnionis hypostaticæ, quo desiderauit suam naturam diuinæ personæ vniri, simulque inuidia vnionis humanæ naturæ cum verbo, deliquisse. Huius opinionis authores fuerunt *Catherinus in opusculo de gloria bonorum angelorum, & lapsu malorum, & in illud Gen. 3. Serpens calidior erat. Iacobus de Valentia in Psalm. 82. explicans illa verba, Surge Deus, iudica terram, &c. Viguerius de institutionibus Theologicis cap. 2. §. 2. versiculo 15. allegatur quoque in hanc sententiam à quibuldam Iacobus Naclantus in Epistolam ad Ephesios, & Alexander tertia parte, questione secundam. 13. & quod caput est, Bernardus sermone decimo. Vasquez in 1. parte Tom. 2.*

primo in Cantica. Verum Alexander, & Bernardus illis locis solum docent Luciferum inuidia vnionis naturæ humanæ cum verbo, peccasse. Contingere autem potuit, vt Angelus inuideret vnionem hypostaticam homini, etiam si eam sibi non appetuerit. Nam inuidia contingere potest solum ex eo, quod quis tristetur de alterius bono, etiam si illud sibi non appetat, sed aliunde nimium in sua excellentia propria delectetur, desiderans eam à maiori alia non minui: posset igitur Angelus, desiderans suam propriam naturam, & excellentiam omnibus hominibus tanquam magister præesse, inuidere homini dignitatem ex vnione hypostaticæ concessam: & ita solum, inquit Bernardus, indigne tribuisse dæmonem mysteriū Incarnationis, & dixisse, *Vt quid perdis hoc vnienti?* ac si diceret frustra pro hominum reparatione Verbum diuinum fuisse incarnandum. Quare in eodem sermone solum affirmat Bernardus, Angelum appetisse præesse hominibus tanquam magistrum, & ideo dixisse, *vt quid perdis hoc?* &c. refertur etiam ipse Bernardus in sermone primo de aduentu Dei: neque ibi tale docuit. Solum dixit, hominem & angelū peccasse appetitu superbo æqualitatis scientiæ, & sapientiæ Dei: quæ cum filio attribuitur, inducit Bernardus ipsum filium Dei dicentem, *Si propter me orta est tempestas, projice me in mare*, nempe humanæ carnis, quam assumpsit. Nec quidquam aliud docuerunt *Wilhelmus Parisiensis in lib. de vniuerso prima parte secunda parte principalis à cap. 106. vsque ad 110. & Dionysius Carthusianus in secundum distinct. 5. quæst. 1. qui pro hac sententia referuntur*, quam id, quod dixit Bernardus in sermone illo decimo septimo. Demum citari solet in eadem opinionem, Rupertus libro 8. in Ioan. nem longe à fine, in illud capite 8. *ille homicida erat ab initio*. Hic tamen solum inquit, diabolum peccasse peccato odij contra Christum, statim atque nouit mysterium Incarnationis, & subinde mortem illius machinatum fuisse, ac propterea dictum fuisse homicidam ab initio.

Hæc sententia nonnullis recentioribus Theologis probatur, atque in Scholis non parum plausibilis est. Confirmari autem potest Scripturæ & Patrum testimoniis. Primum etiam colligit Catherinus ex illo ad Hebr. 1. *Et cum iterum introduxit primogenitum in orbem terrarum, inquit, & adoret eum omnes Angeli eius*. Dicit Paulus, *Cum uideret, quia semel iam Pater æternus introduxerat Christum, & proposuerat Angelis adorandum, cum ab initio ipse hoc mysteriū reuelauit*. Iterum ergo Christū introduxit Pater æternus cum reuera eum misit, vt incarnaretur. In illa ergo priori propositione, & reuelatione Lucifer, & Angeli eius nolentes Christum adorare, & ei se subicere, peccarunt. Deinde hac ratione probari potest: ex communi Patrum doctrina constat, dæmonem peccasse inuidia hominum: probabilius autem est, peccasse antequam homo crearetur, vt notauimus ex sententia Isidori, Cypriani, & Bedæ disp. 229. cap. 11. Neque existimare debemus, Angelum inuidia excellentiæ humanæ secundum illius propriam naturam peccasse. Quæ enim ratione inuideret dæmon hominem fuisse creatum ad imaginem & similitudinem Dei? sic enim facilius inuideret alteri Angelo: ergo verisimilius est peccasse dæmonem inuidia dignitatis humanæ, quam præuidit euehendam ad dignitatem

L112 hypo-

Catherinus.

Iacob. Val.

Naclantus.

Alexander.

Bernardus.

Vasquez.

Cyprianus.

hypostatica vnionis, quam inuidia excellētiæ naturalis eius. Porro autem angelum peccasse inuidia humanæ dignitatis, plures, & grauiores Patres testantur, Cyprianus in opusculo de zelo & liuore parum ab initio id affirmat: his verbis, Quale malum est fratres dilectissimi, quo Angelus cecidit, quo circumueniri & subuerti alia illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse, qui decipitur exinde inuidia grassatur in terris, dum liuore periturus Magistro perditionis obsequitur: dum diabolus, qui zelat, imitatur, sicut scriptum est, inuidia diaboli mors introiit in orbem terrarum.

Irenæus.

Et Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap. 78. explicans illud Matt. 13. Inimicus homo hoc fecit, id ipsū docet, Ex tunc enim (inquit) Apostata est Angelus, & inimicus, ex quo Zelatui plasma Dei, & inimicum illum Deo facere aggressus est. Consentit Tertullianus libro de patientia capite quinto, ubi docet, diabolum impatienter tulisse, cum vidit hominem à Deo conditum ad sui similitudinem, & ex hac impatientia inuidisse: an vero prius fuerit malus, quam impatiens, non vult inquirere: quapropter neque definit, an inuidia fuerit primum peccatum. Idem docet Basilius in concione de inuidia parum à principio, & Nyssenus in oratione catechetica cap. sexto, ante medium: his omnibus adde Bernardum loco superius allegato. Quorum sententiam commemorat Augustinus libro vñdecimo de Genesi ca. 14. & illam non improbat, sed solum admonet, si ita peccauit angelus, inuidiam natam esse ex superbia non contra.

Basilius, Nyssenus.

Augustinus.

Non potuisse angelum peccare appetitu vnionis hypostaticæ docent alii.

6.

Secunda opinio huic omnino opposita est quorundam recentiorum, qui affirmant non potuisse angelum peccare appetitu superbo vnionis hypostaticæ. Quam duplici ratione confirmant. Primum, quia si Angelus desiderasset suæ propriæ naturæ indiuiduæ vnionem hypostaticam, desiderasset sui ipsius destructionem: hoc autem non est possibile desiderare, nisi in intellectu error aliquis præcedat: atqui in intellectu Angeli error esse non potest: ergo neque tale desiderium. Catherinus secutus sententiam Scoti asserentis, personam supra naturam in creaturis non addere aliquid reale, sed negationem solum, respondet, etiam si Angelus appetisset vnionem hypostaticam non desideraturum aliquam sui corruptionem, sed tantum supplementum cuiusdam negationis. Verum quia, ut ostendimus tertia parte, quæstione quarta, articulo secundo, persona super naturam non solum addit negationem, sed etiam positium modum per se argumentum prædictam adhuc suam vim habere videtur. Deinde probat prædictam opinionem, quia in talis sanctitatis desiderio non videtur esse peccatum: quisque enim desiderare postulat summum gradum sanctitatis, qui est per vnionem hypostaticam, si eam desideraret, & expectaret habere ab eo, qui eam conferre posset, nisi peccatum aliquod positum obstat: nullum autem præceptum impossibile fuisse angelis manifestum est, cum de illo non constet, & ex naturæ rei nullum tale præceptum sit: quinimo addunt prædicti Doctores, si tale extitisset præceptum, angelum non potuisse peccare peccato superbiæ, sed alio genere peccati: quia peccatum superbiæ solum versatur circa propriam excellentiam.

Angelum potuisse peccare appetitu vnionis, non tam peccasse, verior opinio fuit.

Media via incedere mihi multo probabilius, & securius videtur. Primum quidem, si dicamus contra secundam opinionem, Angelum quidem peccare potuisse appetitu superbo vnionis hypostaticæ. Deinde si dicamus, hoc appetitu non peccasse primo cum de ecclo. & de statu illo felicissimo lapsus est. Virumque vero patrem confirmare operosum non erit. Quod vero attinet ad primam partem, duo nobis probanda sunt, vnum est nihil obstat, quo minus Angelus talem vnionem appetere poterit: alterum in tali appetitu potuisse peccatum esse superbiæ: quæ duo simul probantes, fundamentum duo secundæ sententiæ conuellent. Primum igitur talem appetitu fuisse Angelo possibilem, hoc ostenditur. Si aliquid obstat, quo minus Angelus potuisset desiderare hanc vnionem, id maxime esset, ne sui destructionem appetere; quod sine errore, cuius Angelus capax non est, haec non potuisset: atqui hoc nihil obstat: cum quia tali appetitu angelus non desiderasset corruptionem suæ naturæ, sed solum alicuius modi, quem appellamus perfectiorem, hoc est, appetitum naturam suam non esse per se, & in se, hoc autem absque errore Angelus desiderare potuisset: cum naturæ vniuersi cuique melius sit, esse in verbo, quam esse in se sola & per se. Tum etiam potuisse Angelo inesse appetitum alicuius excellentiæ, ex qua oreretur necessario destructio, aut, non esse propriæ ipsius naturæ, absque vilo errore in intellectu, inferius disp. seq. ca. 2. monstrabimus. Nihil igitur obstat, quoniam angelus vnionem hypostaticam desiderasset; quod prius loco proposuimus probandum in confirmatione prioris partis nostræ sententiæ, ex quo etiam prior ratio secundæ opinionis infirmata manet.

Præterea in tali appetitu vnionis potuisse esse superbiæ peccatum, probatur. Primum quidem si fuisset præceptum impossibile, non appenderetaleque excellentiam, adeo manifestum est, tunc futurum peccatum superbiæ appetitum illius, ut omnino ignorem, qua ratione recentiores illi oppositum affirmauerint; nam superbiæ peccatum non est in appetitu nimio excellentiæ naturalis, hoc est, quæ naturaliter nobis conuenit, sicut illi Doctores asserere videntur. Imo in huius appetitu non videtur esse peccatum; cum homo tunc appetat tantum id, quod naturaliter sibi conuenit. Nisi illud, appetat in despectum aliorum; huius enim perfectionis desiderium videtur esse intra limites & mensuram rationis, sed superbiæ peccatum potius est in appetitione excellentiæ non naturaliter conuenientis; nam qui illam appetit ultra modum, desiderare videtur dignitatem excellentiæ, quod superbiæ proprium est; nec minus, imo multo maius genus superbiæ esset, appetere dignitatem excellentiæ diuinæ. Quare cum dæmon sub hac ratione appetere potuerit vnionem hypostaticam, in desiderio illius etiam superbe peccare potuit.

Fateor quidem, posse aliquem affectu moderato & secundum rectam rationem desiderare vnionem hypostaticam suæ naturæ cum Deo, non inuidiæ causa, & vt aliis præferat, sed vt ar-

9. aiori modo sanctitatis & impeccabilitatis cum Deo iungeretur. Si tamen talem dignitatem appeteret, aut contra preceptum positum: aut ex affectu, ut aliis antecederet, etiam si preceptum positum non esset verans talem appetitum esset quidem peccatum superbie. Iure naturali hoc manifestum est: quia hic esset appetitus excellentie propria, non quidem quae naturaliter conueniret appetenti, sed quam sibi ut propriam aliquis appetere. Et hoc intelligitur cum superbia definitur, *Appetitus inordinatus propria excellentie*. De iure autem positum etiam manifestum est: quia ius positum, omne quod verat, constituit in natura alicuius vitij particularis: atque eius transgressio non est speciale peccatum inobedientiae, nisi fiat ex intentione expressa transgrediendi preceptum cum contempnu, vt 1.2. q. 73. art. 8. ex doctrina S. Th. ostendimus: ac proinde transgressio simplex precepti positi iuxta naturam materiae expendi debet. Cumque appetitus vnionis, sit appetitus excellentiae, si sit contra preceptum, erit superbia peccatum. Ex his autem posterior ratio secundae opinionis dissoluta manet, atque prior pars nostrae sententiae satis confirmata.

10. Posterior vero pars nostrae sententiae, qua dicitur, Angelum non peccasse appetitu vnionis hypostaticae, dupliciter etiam potest probari. Primum ratione desumpta ex doctrina communi, quae in tertiam partem S. Th. q. 8. art. 4. vbius a nobis confirmanda est, nempe Christum non fuisse praedestinatum ordine diuinae praesentiae ante iustificationem, & peccatum angelorum. Si quidem ordine causae, aut occasionis prior fuit praesentia peccati Adami, quam praedestinatio Christi. Cumque peccatum angelorum fuerit ordine causae prius, quam peccatum primi parentis, quia primi parentes tentatione diaboli ad peccatum impulsii sunt, efficitur praedestinationem Christi in diuina praesentia secundum ordinem causae, seu occasionis posteriorem fuisse peccato ipso angelorum, quo primo ceciderunt. Quod si Angelus primo peccasset inuidia Christi & vnionis hypostaticae naturae humanae cum Deo, praedestinatio Christi venturi prior esset peccato Angelorum: ac proinde peccato primi parentis: quod est contra id, quod supposuimus: nam tunc Christus futurus, ordine causae praecederet tanquam materia, circa quam versaretur inuidiae peccatum: nec enim credendum est, Angelum peccasse inuidia vnionis apprehensae solum sub opinione, si hoc genere inuidiae & superbiae peccauit, sed inuidia vnionis naturae humanae in verbo reuelatae iam per fidem. Cumque peccatum illud ordine causae supponeret reuelationem, & tem reuelatam, tanquam futuram: sequeretur, prius ordine causae in diuina praesentia fuisse Christum futurum, quam angelorum, & primorum parentum peccatum.

Hec est potissima ratio pro hac parte nostrae sententiae. Nam quod nonnulli recentiores contra illam dicunt, esse communem sententiam Patrum assereunt, peccatum Angelorum fuisse superbiam, ut praecedenti disputatione vidimus, ac proinde non peccasse ex inuidia incarnationis, nullius momenti est: namque si hoc modo Angeli peccassent, saluari quoque posset communis doctrina Patrum, qui dicunt, peccatum eorum fuisse superbiam: quoniam in appetitu vn-

nionis hypostaticae superbia esset, ut explicuimus supra.

Præterea eadem pars nostrae sententiae confirmabitur, si ostendimus, nullum testimonium, quod pro sententia Cathedrini allatum est, alicuius esse momenti. Et quidem testimonium Scripturae, quod aduersarij magni faciunt, duabus de causis infirmum est, & nihil omnino poteris habere. Primum quia particula, *Iterum*, cum dicitur, *Et cum iterum introducit primogenitum, & cetera*, non significat secundum aliquam introductionem Christi in conspectu angelorum factam, quasi supponat aliam priorē, sed, ut recte admonet Adamus, particula, *Iterum*, est citantis aliud testimonium: quare ad ipsum testimonium allegatum non pertinet. Ac si diceret Paulus, ut verit Erasmus, *Rursum autem cum introducit, &c.* Hoc est, & in alio loco Scripturae cum introducit primogenitum, &c. dicit, *Et adorant eum omnes Angeli eius*. Quare & Graeci interpretes non exponunt particulam, *Iterum*, quod viderent ad ipsum testimonium citatum non pertinere. Deinde etiam si consideremus pertinere particulam illam ad testimonium, & fuisse duas introductiones Christi coram Angelis, vnā in principio, reuelato eis mysterio incarnationis per fidem, antequam peccarent, alteram cum re ipsa in tempore incarnationis est, inde non sequitur, Angelos peccasse inuidia incarnationis, & appetitu superbo vnionis hypostaticae naturae suae cum verbo, hoc enim in eo testimonio non dicitur: sed ex eo solum colligi potest, Angelum quidem potuisse eo genere peccati peccare, quod non negamus.

Adde quod Genebrardus Psalmum illum 96. ex quo Paulus citat testimonium, interpretatur de extremo aduentu Christi cum venerit ad iudicandum, cum quo sensu constare non potest expositio, quam aduersarij sequuntur praedictam sententiam docuerunt. Miror autem testimonia Sanctorum Patrum, quos citauimus, pro hac sententia allegari: nam quamuis omnes, excepto Tertulliano, loquantur de primo Angeli peccato, quo factus est apostata: tamen nullus illorum dixit peccatum Angeli fuisse appetitum superbiae vnionis hypostaticae, aut inuidiam incarnationis, sed solum peccasse inuidia dignitatis humanae, quod vidisse creaturam corpoream creatam ad imaginem & similitudinem Dei, nempe rationis & liberi arbitrij participem. Quare ex sententia horum Patrum non peccauit Angelus, ante quam primus parens crearetur: nec censeri debet impossibile, Angelum peccare potuisse inuidia dignitatis humanae, quod homo ad similitudinem Dei, creatus esset. Facilius autem hoc affectu moueretur, quam inuidia alterius Angeli, quod videret hominem se multo inferiorē in tanta dignitate fuisse creatum. An vero facilius peccaturus esset Angelus inuidia incarnationis, quod videret hanc esse maximam omnium dignitatem, non facile definiti potest: nam cum affectus peccati plurimum pendeat ex tali modo propositionis obiecti ex parte intellectus, potuit sane efficacius proponi dignitas humana tanquam contraria Angelo, quod esset homini naturalis & omnibus hominibus communis, quam dignitas incarnationis, quae non erat naturalis humanae naturae, nec omnibus humanis naturis communis. Hæc cum ita sint, & sancti Patres pro hac senten-

Enervantur
adducta pro
sent. Cathedr.

12.

Exponitur
locus Pauli
ad Hebr. 10.

13.

ria allegati alterius peccati inuidiæ non meminerint, quam prædicti, illorum testimonio aduersarij vti non possunt ad hanc sententiam probandam. Quod vero ait author de mirabilibus sacre scripturæ apud Augustinum lib. 1. ca. 2. Angelum non potuisse peccare affectu inuidiæ dignitatis humanæ, nisi ipse suam amisisset per peccatum; non video qua ratione sit verum; utroque enim modo peccare potuisse angelum, quis ambigat?

DISPUT. CCXXXIV.

An peccauerit Angelus appetitu superbo æqualitatis cum Deo?

Angelum non potuisse peccare appetitu æqualitatis naturæ cum Deo non pauci docuerunt. cap. 1.

Angelum potuisse peccare appetitu superbo æqualitatis Dei secundum naturam, alij Scholastici probabiliter censent. cap. 2.

Angelum appetitu æqualitatis Dei secundum essentiam peccasse certum non est. cap. 3.

CAPUT I.

Angelum non potuisse peccare appetitu æqualitatis naturæ cum Deo, non pauci docuerunt.

Non parum communis apud Scholasticos, & Patres sententia est, angelum peccasse appetitu superbo alicuius æqualitatis cum Deo. Id docent Scholastici omnes, quos in hac disputatione allegabimus, & ex Patribus Ambrosius in illud Psalmi 118. Insuperbi superbos, & Epistola 84. ante medium, Nazianzenus oratione 27. quæ est ad eos qui dicebant, ipsum affectare cathedram Constantinopolitanam, & carmine 6. eiusque commentator Elias Cretensis in oratione 3. quæ est prima inuictiua in Iulianum, explicans illa verba, Quocirca cum potentia, &c. Chrysostomus Homilia 3. de verbis Isaia post medium in 1. tomo, Gregorius Magnus lib. 34. moral. cap. 17. alias 14. Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 2. sententia 8 Beda tomo 8. in libro 99. quæ 9. Damasc. 2. de fide, cap. 4. cum inquit, demonem aduersus opili. cum suum Deum sese exfulisse, & aduersus eum rebellare voluisset; quod idem est, ac aliquam cum Deo æqualitatem ambuisse.

Verum inter Scholasticos non levis controvertia est, utrum angelus peccauerit appetitu æqualitatis cum Deo secundum naturam, an solum secundum aliquam similitudinem. Ex quibus non pauci dicunt, angelum non potuisse peccare appetitu æqualitatis cum Deo secundum naturam, sed solum secundum similitudinem. Ita docent S. Thomas, Caietanus, & recentiores Thomistæ in hoc art. & idem Sanctus Doctor in qua. 16. de malo ar. 3. Alexander 2. p. q. 98. memb. 3. Albertus in 2. d. 5. art. 3. Bonavent. art. 1. quæst. 2. Egidius quæst. 1. art. 2. Hervæus quæst. 1. art. 3. Durand. q. 1. n. 13. Marfilus in 2. quæst. 7. artic. 2. conclus. 7. Capreolus in 2. q. 1. quæst. 2. artic. 1. conclusio 2. & articulo 3. in solutione 1. & 2. contra secundam conclusionem, Ferrariensis 3. contra gentes c. 109. § Sed contra prædicta arguit. Willemus Parisiensis 1. part. 2. partis principalis de universo cap. 109.

Prior ratio huius sententiae est huiusmodi. Demon non erat non hebes ingenio, ut non videret impossibile sibi esse, consequi Dei æqualitatem secundum naturam; ergo velle & desiderare illam non poterat; nemo enim id, quod videt impossibile esse desiderat, aut dicendum est, in mente Angelii fuisse errorem de hac re, quod non est credendum.

Qua ratione usus est Aristoteles libro de egypti diabolis capite quarto, his verbis: Si Deus cogitationem potest, nisi in a solus, ut nihil illi simile cogitari possit, modo potuit diabolus velle, quod non potuit inducere, enim ita obtrusa mentis erat, ut nihil aliud simile diceret, aut posse nesciret.

Quod si quis dicat, voluntatem quoque esse posse impossibilem, ut docet Aristoteles tertio ethicorum capite secundo, contra hoc primo obijcere possumus id, quod ipse Aristoteles eodem capite ait, voluntatem quidem esse posse impossibilem, hoc est, affectum simplicem, quem aliqui vocant velleitatem, at vero electionem non posse esse impossibilem, atqui Angelus voluntate electionis peccauit, quia voluntate libera, ergo non potuit peccare appetendo beatitudinem. Secundo quia (ut ait Bonaventura) si Angelus appetisset æqualitatem cum Deo secundum naturam, quæ intellectioni suo eam sibi fingere posset, sequeretur Angelum solum appetitisse figmentum quoddam suæ cogitationis, non tamen ipsam æqualitatem cum Deo re ipsa. Tertio obijciunt Sanctus Thomas, quæstione illa 16. de malo articulo tertio ad primum. Hervæus loco citato, Capreolus in illa solutione secundi, Willielmus hoc modo quantumvis aliqua voluntas possit esse impossibilem: tamen illa solum est imperfecta, quæ vocari solet velleitatis, aut voluntas sub conditione: nec autem non est capax meriti, aut demeriti ergo illi voluntate non potuit angelus peccare.

Posterior ratio sit, ut inquit Sanctus Thomas, Egidius, & Marfilus: vnicuique rei inest naturale desiderium sui esse: si autem angelus appetere se esse Deum per naturam, appetere sui non esse, quod esset contra naturale desiderium: hoc autem fieri non potuit; ergo nec Angelus appetere potuit æqualitatem per naturam cum Deo.

Porro in confirmationem huius rationis explicare oportet, quid sit naturale desiderium. Est autem naturale desiderium, primum inclinatio potentia passiva ad suam perfectionem, sicut aqua inclinatur ad frigiditatem; & de hoc non loquimur in presenti. Deinde est desiderium naturale facultatis agentis ad suum actum, & de hoc non loquimur; manifestum enim est, possentos appetere beatitudinem, & vitam in qua facultas nutriendi non indiget alimento, nec habet propriam operationem. Postremo est naturale desiderium elicatum nempe voluntatis, quo aliquid per modum naturæ desideramus, ut salus estendimus 1. 2. quæst. 5. art. vlt. & quæst. 10. artic. 1. modus autem desiderandi naturalis, vel imitaturaturæ, est modus necessario aliquid desiderandi cum determinatione ad unam partem, ut docet Sanctus Thomas prima secundæ in ea quæstione 10. artic. 1. vel quoad exercitium, nempe quia ita aliquid amamus, ut non possimus non amare, vel quoad specificationem, nempe quado ita aliquid diligimus, ut non possimus illud odire, quo genere desiderij appetimus sensum, & vitam. & hac ratione dixit Arist. lib. 1. Metaphysicæ cap. 8. & Thom. 1. 2. quæst. 10. artic. 1. hominem naturaliter desiderare scire, & hoc eodem modo diligere sensum & vitam.

Angelus igitur naturaliter appetit suum esse, ita ut illud odire nequeatur appetere non esse non possit, quod id est. Id quod expressè videtur docuisse Arist. 9. ethicæ, ca. 4. ubi politum dicitur, voluntatem

Author de
mirabilibus
sacre scri-
pturæ

Ambrosius
Nazianzenus

Elias Cret.
Chrysost.

Prior ratio
pro hac sen-
tentia